

num. 92. & seqq. Atqui Rege statuente, omnes non excepti manent subiecti: ergo & Senatores legibus à se dispositis.

Affertio 2. *obligatio- nem esse iuxta con- ditionem intentionem.*
105 Dico secundò. Leges dictæ obligant secundum eas ferentis intentionem, iuxta dicta Cap. 1. & præced. Vnde Senatores ipsi earum conditores sciunt quod circa hoc certum habeatur. Licet enim Rex sit, qui vim tandem legibus tribuit, simul tamen cum eo Consilium, cuius dispositionem sequitur. Si autem ipsi nihil speciale concipiant, sed leges ferant iuxta obligationem, quæ ex earum materia potest colligi, iuxta dicta est discurrendum: ut si magni momenti sint, & seculis obligatione sub mortali ferè inutiles redderentur, grauis earum obligatio debeat reputari. Quod etiam dicendum cum leges à Consilio latæ alios habuerant Senatores & auctores, de quorum intentione constare nequit successoribus; debent enim iuxta præfatas regulas de obligatione ipsam iudicare.

Affertio 3. *leges penales circa metalla in conscientia non obligant.*
106 Dico tertio. Cum leges de metallis pretiosis agentes vt penales habeantur, nec videatur æquitati cõforme laqueum conscientis plurimum iniicere; videtur dicendum tamquam verosimile, & saltem probabile, eas in conscientia non obligare, cum poena amissionis imponitur, aut quid simile. Iuxta doctrinam Nauarri in Cap. Frater 12. q. 2. num. 22. & in Manuali Cap. 23. n. 55. & aliorum, quos adducit; plurimumque, quos congerit P. Salas Disput. 15. de legibus à num. 3. quibus cum ipse sentit à num. 17. quando lex non imponitur per verba præcepti, sed sic: Si quis hoc, vel illud fecerit, talem, vel talem poenam incurrit: pro quo & alios adduximus num. 96. & etiam si verba præceptiua adsint, idem esse probabile Affertione 3. Capituli præcedentis ostendimus. Neque sententia hæc in notabile detrimentum Regij patrimonij cedit: nam quod ex occultatione aliquorum amittitur, ex aliorum poenis compensatur; magnæ enim sapius quantitates minus prouide occultare deteguntur, quibus fideus adaugetur.

Quæ forma legis talem obligationem non indicet.

Affertio 4. *Consilium gesserit, si contra leges regi-juri agant.*
107 Dico quartò. Absolutè loquendo, Si Regij Senatores contra leges regitri, aut alias similes operentur, grauiter delinquant. Id probò: quia suo exemplo alios inducunt ad similia, ex quibus legum contemptus inducitur, & præterea, in re non parui momenti officio suo defunt, curandi scilicet vt leges pro bono communi positæ custodiantur.

Affertio 5. *Aliquando non ita acci-ere.*
108 Dico quintò. Stare aliquando potest vt prædicta sine graui peccato fiant; si videlicet necessitates urgeant, neque aliter sit habendi securitas, & cum secreto peragantur. Hoc videtur sine probatione alià verosimile, cum constet per secretum damnis prædictis occurrere, & necessitas rigorem legis temperet, iuxta vulgata iura. Cap. Quod non, de regulis iuris: Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Vbi plures alios Textus adducit Glossa & in Cap. Si quis propter necessitatem, de furtis. Quibus sublati sola potest obligatio poenalis legis relinqui, quæ statim quidem, & fiet eidem satis, si quod occultè transmittitur, diligentia ministrorum legalium detegatur. Sic enim Regio applicabitur fisco, & erit fortè sic mulctatus; poenæ eiusdem inexcusabilis executor.

CAPVT XI.

Vtrum Regium Indiarum Consilium possit personas Ecclesiasticas inordinate procedentes in Hispaniam auocare.

S. I.

Duplex sententia, & vtriusque fundamenta.

109 **O**uia est ratio dubitandi; fit enim sic, quod tamen non posse fieri notissima ostendit immunitas; contra quam non ire tot viros adeò sapientes & Christianos videtur aliàs iudicandum. Et communis illa in promptu est ratio, Regem œconomico iure in hac parte se gerere: sicut enim familia cuiuscumque dominus domo expellere quemcumque potest qui sibi videtur incommodus, eò quod turbationis domesticæ causa sit, quamuis sit ille Clericus, vel Religiosus; aut ex vno in aliud mutare cubiculum ob congruam aliquam rationem; ita & Rex Clericos ac Religiosos turbantes pacem, bono communi potest eorum mutatione consulere, & si opus sit, etiam extra regna expellere; omnia enim instar vnius domus sunt ad negotium præfens. Et quidem in Indiis hoc speciali videtur ratione procedere: cum enim adeò distet, si turbati eas cõtingat, valde difficile erit de opportuno remedio prouideri; vnde occasiones oportet anteuerti, nedum extortas amputare. Quid est enim gratius, quam humanis rebus cautelam semper adhibere: quæ aut hic necessaria, aut non grauis esse superflua? Verba sunt Theodorici apud Cassiodorum Lib. 3. 48.

110 Dico potest, per Ecclesiasticos Prælatos remedium posse procurari; pro quo, præter obligationem officij, Regia admonitio sufficit. Quæ responsio optima est, quando res ita potest disponi. Sed quid si de remedio à Prælato adhibendo desperatur? vel si sperari aliquomodo possit, non tamen adeò solidis fundamentis; vt Principis possit animus conuiescere? Quod quidem in regionibus tanto intervallo distantibus rationabiliter timeri potest, cum Prælatorum industria parum habeatur explorata; sitque præterea eos viuere incertum: vnde ad radicem mali, sublatâ occasione, securis videtur adhibenda. Neque enim certis periculis per incerta est remedia prouidendum; cum potius è contrario sit agendum: vt scilicet incertis periculis certa remedia destinentur. Sunt enim aliqua, quæ poenâ digna non sunt, neglecta tamen aut insuper habita, multorum, magnorumque malorum causam præbeant: vt scribit Dio Cassius. Lib. 52. Vbi & illud Cornelij Taciti Lib. 11. Annalium ritè cadit: Securitati consules antequam vindicta. Securitati inquam per remotionem vnius, ne opus sit in plures, excitatis turbis, seuerius vindicari.

111 Et hæc quidem stylum videntur prædictum à violatione Ecclesiasticæ immunitatis excusare. Cum tamen remotio talis rationem poenæ habeat, & satis profecto grauis, vt potè longi

Ratio dubitandi, & quæ parte affirmante communitate affectus de economica administratione.

Cassiodorus.

Vrgetur ex in certis remedijs Prælatorum.

Periculis etiam non certis occurrentibus.

Dio Cassius.

Tacitus.

Stylus prædictus improbat, & economico micu textus.

longi & laboriosi nimis exilij; videtur aliàs non licere laicæ potestati: & verò si philosophari dicto modo liceret, & ad œconomicam gubernationem dispositiones istas adeò graues reuocare; eodem modo poterit circa alia discursu & sic libertatem Ecclesiasticam magnâ ex parte demoliri. Dominus enim familia Clericum, aut Religiosum potest domo eicere, cuius prauis displiceant mores, erga quamcumque materiam prauitas versetur, in quamcumque liquidem nocere possunt: ergo & Rex poterit similiter Ecclesiasticos à regno expellere ob quamcumque morum prauitatem. Consequentia videtur urgere iuxta doctrinam prædictam: quia Rex non minus debet regni pacifico statui cõsulere, quam pater familias domus propriæ vilitati. Et quemadmodum hic non dicitur poenam infligere, sed suæ indemnitati prospicere, ita etiam de Rege dici potest.

Rem posse ministerio Prælatorum executioni mandari, et nudi pro eo designari.

112 Præterea. Si expediat aliquem ex Indiis abduci, id potest ministerio Ecclesiasticæ iurisdictionis exerceri; ergo nequit laica potestas suo tantum brachio vt in huiusmodi compulsionem. Antecedens probò. Nam Rex per Consilium potest ad Prælatos scribere suo expedire seruitio, vt talis, aut talis, in Hispaniam remittatur: quæ voluntatis significatione, nullus erit qui non ad executionem Regij beneplaciti moueatur. Quod si fortè in executione difficultas aliqua subdit, & supplicandum videatur, id Regi, & Consilio ingratum non accidet; immò & fortè gratius superfedisse fuerit; sic enim veritas solet propalari. Et ita quidem vidimus accidisse nonnumquam, dum finitris informationibus aures Regiorum Senatorum opplentur: vocati enim nequaquam remissi; idque non solum patienter, sed æquanimiter ac libenter toleratum. Potest item ad Proregem scribi vt executionem urgeat, Regis inculcatâ voluntate. Vbi & mirandum erit Consilium Regium conuenientiam expulsiõis iam inde ab Orbe alio prospicere, quam Prorex, rem habens præsentem, non valeat melius intueri. Ex quo ostenditur causas auocationum talium non tale semper solitas habere momentum, vt ad remedium adeò acre compellant; quandoquidem ij, qui præfentes adsunt, nihil tale deprehendunt.

Medium iuxta quod sine scrupulo potest procedi.

Cassiodorus.

Subiectio in Regibus comparatione Ecclesiæ & vtilis & decora.

113 His addo, medium esse aliud, quo possit omnis scrupulus in tali auocatione cessare: si videlicet Patriarcha Indiarum eam habeat potestatem ex Apostolica Sedis concessione, etiam erga exemptos: quod difficile non fuerit impetrare. Tunc enim proposita ei à Consilio Regio auocationis conuenientia, poterit rationabiliter imperare. Habere autem Consilium talem ab Ecclesiastico iudice dependentiam, indecorum non debet indicari, sed maxime gloriosum, iuxta dicta num. 81. Pro quo & iuuat Athalaricum Regem ore Cassiodori Lib. 8. 24. sic locutum excepisse: Tanto Diuinitati plurima debemus, quanto à ceteris mortalibus maiora suscepimus. Nam quid simile rependat Deo, qui posuit Imperio? Sed licet pro tanto munere nihil compensari possit idoneè; ipsi tamen gratia redditur, dum in seruentibus honoratur. Et inferius. Sed aliorum plebenda subreptio nobis obtulit plenissima laudis euentum, vt causa contingeret præstandi, quæ nos celestibus commendaret Theauri Indici Tom. I.

auxiliis. Hæc ille, & alia in causâ immunitatis. Ex quibus patet dependentiam dictam minime Regiam auctoritatem dedecere: & per eam diuina auxilia, quæ tantopere sunt Regibus Catholicis necessaria, efficacius comparari.

114 Cum ergo vtriusque rationes appareant, non erit mirum si Scriptores diuersimodè inueniantur opinari. Et actionem dictam esse licitam plures Iuriconsulti existimant, quos adducunt Diana Parte 1. Tract. 2. Resolut. 18. & Dom. Solorzanus Lib. 3. Cap. 27. & in politica Lib. 4. Cap. 27. & aliis accedit Dom. Villaroel Parte 2. Pacificæ gubernationis Quæst. 13. Artic. 6. num. 114. Pro quo & Dom. Solorzanus schedulas aliquas Regias adducit. Contrarium autem tenent quamplures ab eisdem prolati, quod & communiter Auctores Societatis amplectuntur. P. Suarez Tomo 5. in 3. p. Disput. 21 Sect. 2. num. 70. iuncto num. 102. P. Henriquez Lib. 14. Cap. 12. num. 6. & in Glossa lit. V. P. Filiucius Tomo 1. Tract. 16. n. 247. P. Scottia in Epitome Bullarum Cap. 66. Theoria 420. P. Palaus Tomo 6. Disput. 3. Puncto 20. §. 5. & 7. iunctis, quæ habet Tomo 2. Tract. 12. Puncto 6. Disput. unica, quatenus casum istum non exipit.

S. II.

Resolutio Assertionibus explicata.

115 **D**ico primò. Talem auocationem frequenter indicare, non videtur in Regis Consiliariis sine graui conscientia reatu stare posse. Sic citati, & præterea Dom. Solorzanus num. 17. vbi ita scribit: Sed licet hæc ita se habeant, & rarius, (vt dixi) satisque sit, vt Ecclesiasticorum expulsiõ aliaue coercitio eo modo, quo diximus, expediat (scilicet per Ecclesiasticos Prælatos): adhuc tamen vbi Prælati Ecclesiastici hoc facere differunt, vel in ipsismet Prælati morbus consistit, cuius medicina desideratur: vel facinus ita graue & insolens est, vt curationem non patitur, & celerem ac exemplarem animaduersionem requirat; probabiliter, & absque villo periculo &c. Non ergo probabile censet, cum facinus non est graue & insolens, sicut frequenter non est, Consiliarios Regios ad remotiõnem sacrorum hominum procedere. Id quod etiam allata à nobis superius persuadent.

116 Dico secundò. Quodcumque illud sit, propter quod expulsio iudicatur conueniens, si per Ecclesiasticos Prælatos præstari possit, tutâ conscientia nequit remedium huiusmodi prætermitti. Id probò.

Primò, ex decreto Clementis Octauo, de quo Genuensis apud Dianam supra Resolut. 20. qui statuit causâ Religiosi de grauissima rebellionem in regno Neapolitano rei, non debuissè à iudicibus laicis cognosci, & tamen nullum ita præiudiciale facinus respectu boni communis, nec magis Principibus odiosum.

117 Dices decretum præfatum de cognitione iudiciali procedere, quam & opposita sententia negat laico iudici debere concedi; non cognitionem per viam œconomicæ gubernationis. Sed in primis sunt qui dicant distinctionem hanc esse chimericam, quia cum cognitio causæ reipsa sit, & poena satis grauis infligatur, sola de nomine

Diuerse sententia circa questionem.

Affertio 1. frequenter auocatio non esse mortalis cul. pabilem.

Dom Solorzanus.

Affertio 2. Per iudices Ecclesiasticos, si quænt, semper faciendum.

Probatio 1. ex decreto Clementis Octauo.

Ensis de iudiciali cognitione tantum prohibita.

Explicatur valde.

nomine relinquitur quaestio. Et is qui poenam subit, mallet secum iuxta juris formam agi, sic enim esse locus defensionis. Deinde. Delictum illud non debet manere impunitum: ergo cum Regium Consilium non permittat Ecclesiasticos iudices circa illud suam auctoritatem interponere, ad se uel punitionem penitus pertinere, quam re ipsa illum banniendo, aut quomodocumque nominare libeat, infligit. Præterea ex decreto dicto satis efficaciter arguitur: nam ex illo habemus grauitatem delicti non ob stare immunitati, nec diuersam regulam pro eo statui posse ab ea, quæ circa frequentiora crimina obseruatur: ergo sicut in delictis frequentioribus non est licita expulsiō à regno, ita neque in grandioribus & insolitis, quando circa eorum remedium potest Ecclesiasticus gladius exerceri. Quibus addendum iuxta receptam Scriptorum doctrinam Clericum incorrigibilem priuilegium Canonicum non amittere. Pro quo uide P. Dicastillum lib. 2. de Iustitia disp. 4. num. 354.

118. Secundò probo ex rescriptis Regiis, in quibus ita decernitur, ut scilicet turbulenti homines interuentione Prælatorum expellantur; de quibus Dom. Solorzano num. 12. & seqq. & licet num. 53. alia rescripta adducat, in quibus expulsiō talium Proregibus indicitur, nullā Prælatorum Ecclesiasticorum factā mentione; illa tamen subintelligenda est; quia correctio in legibus est uitanda. L. Præcipimus. C. de appellatione. Pro quo Marius Antoninus lib. 1. Resolut. 17. numer. 12. cum Menochio & Boëtio. Item, in legibus talis est faciendā interpretatio, ut non videatur Princeps id tollere, quod ab ipso fuerat antè concessum. Pro quo Auctor idem. Præterquam quod omnes qualitates influentes & repetita censentur in lege additā, ut docent Alexander, Decius, & Socius apud eundem lib. 3. resol. 23. n. 2.

119. Tertiò. In Bullā Cœnæ, Excommunic. 19. excommunicantur bannientes personas Ecclesiasticas. Est autem bannire iuxta Italorum loquendi morem, in exilium mittere. Ibi autem nulla fit exceptio insoliti facinoris: cum tamen certum sit non nisi ob talia crimina bannandos Ecclesiasticos timeri potuisse. Quod argumentum, sicut & præcedentia, Assertionem priorem amplius firmant.

Nec ualet si dicas cum Dom. Solorzano n. 54. & in Politicā pag. 745. s. Con la qual. Bullam procedere de processu per viam contentiosam, ut indicant verba, quæ apponuntur in Clausulā 12. præcedenti eam, in quā de bannientibus agitur, ibi: *Ac se de illarum cognitione tamquam iudices interponunt.* Quæ clausula ad omnes sequentes influit & in illis repetita censetur. Cap. Requiris, de appellat. Vbi Abbas, & doctores. Et ex textibus aliis ab eodem adductis, in quibus id Scriptores illustrant.

120. Non inquam ualet; quia doctrina illa non est generaliter vera & ita non habet locum quando, si clausula referretur ad capitulum, induceretur juris communis correctio, ut docent Bartholus in l. Talis scriptura, de legatis 1. Gabriel Consilio 22. n. 12. volum. 1. Aretinus in l. 3. s. Filius, in fine, D. de liberis & posthumis. Item, quando in aliis post clausulam est diuersa ratio, ut tradit Cardinalis Mantica Decisione 52. n. 3. iuxta communem Doctorum sensum; quod hic contingit, & sic a-

lias. Pro presenti autem causā id certum, non extendi quando verba legislatoris contrarium indicant; & est in fauorem Ecclesiæ, ut hic accidit: nam Pontifex quatuor aut quinque actiones prohibet sub dictā excommunicatione uerbis illis: *Illos processando, banniendo, capiendū, seu sententias contra illos proferendo uel exequendo.* Vbi sententiam proferre, quod est ut iudicem se interponere, tamquam quid diuersum à bannitione constituit. Et præterea si clausula illa deberet intelligi: ergo qui caperet sine iudiciali processu, non incurreret prædictam excommunicationem; quod dici nequit cum multo grauior ea iniuria sit, quam sola processu sub eadem excommunicatione prohibita. Pro quo videndus Bonacina disp. 1. de Censuris, q. 20. Puncto 2. n. 9. Item. In hac excommunicatione extant uerba illa. *Quomodolibet se interponentes:* ergo non sola interpositio iudicialis & contentiosa prohibetur, cum aduerbiū. *Quomodolibet* fit uniuersale, ut constat, & habetur ex Cap. Indemnitate. s. Si qua uero, de electione in Sexto, ibi: *Ipsi aliquid quomodolibet non queratur.* Vbi Archidiaconus ait esse distributiuum modorum, quod probat Glossa.

121. Dico tertiò. Si delictum sit insolens, & turbulentum aliquid timeatur, probabile est posse Regium Consilium sic delinquentem expellere, si Prælatus Ecclesiasticus nolit, aut nequeat, requisitus ad id operam exhibere. Colligitur ex P. Suariorum lib. 4. defensionis fidei, cap. 34. n. 6. & in 8. magis ad rem ita scribit: *Atque hunc possumus uniuersaliter colligere, numquam posse secularem iudicem usurpare jurisdictionem in Clericum prætextu necessitatis, quamdiu aliquis prælatus Ecclesiasticus, siue proximus siue remotus adiri potuerit.* Sic ille. Quando ergo Ecclesiasticus Prælatus adiri non potest, aliter iudicandum. Est autem idem non posse Prælatum, aut nolle remedium adhibere, ac penitus non esse: quia in ordine ad illum effectū nō est. Sic C. Inter cetera, de translatione Episcoporum, ecclesia viduata dicitur quæ habet Episcopum inutilem. Vbi Glossa v. Inutilem, ait inutile mortuū reputari. Et L. Plagiarij ad L. Fabiam, de plagiarijs, pater vocatur filio orbatu, quando sibi est filius inutilis. Vbi & id notat Glossa, & Baldus. Propter quod Textum Baldus ipse, Didacus Perez, Palacius, Rubeus, Rebuffus, Hippolytus, Couarr. & Corta, apud P. Th. Sancium tom. 2. Consiliorum, lib. 4. c. 2. dub. 1. s. n. 1. affirmant viduā dici, quæ maritū habet inutilem, & gaudere priuilegijs viduarum.

122. Dices P. Suarium n. 7. asserere adeundum esse Pontificem, qui si neglexerit, non est per Regem cogendus, sed rogandus, uel cum debita submissione monendus. Sed hoc pro Indiis in casibus particularibus est difficile, ut constat, & mora potest esse nociua: unde succedit alia doctrina eiusdem Patris, n. 9. sic dicentis: *si uero aut casus est particularis & extraordinarius, aut non datur locus consulendi Pontificem, aut exequendi mandata eius: tunc casus reducit ad terminos juris naturalis, & gentium.* Et ideo licet uti remedio quocumque honesto secundum rectam rationem. Vel dici etiam potest tunc posse conueniri Clericum coram iudice laico iure defensionis, quia ille tunc est modus suariorum defendendi, uel suum conseruandi, aut recuperandi, aut etiam communi bono consulendi. Sic ille. Quod & alii admittunt, quibus nouissime accedit D. Villaroel Part. 2. q. 18. art. 3. n. 1. & seqq. & n. 38. & seqq. iuxta quod exponendum quod

quod habet art. 1. n. 117. Clericos inquam incorrigibiles posse à laicis puniri iudicibus.

CAPVT XII.

An idem quod de alijs, de Episcoporum auocatione, aut remotione dicendum.

123. Dico primo. Quæ in prima & secunda Assertionem cap. præced. diximus, in Episcopis amplius uigent. Constat ex eorum maiori dignitate, cui maior est etiam debita reuerentia: unde specialis est excommunicatio in Bullā Cœnæ, scilicet uidecimā, contra eos hostiliter insequente. Iniuria eorum ad Christum pertinet, cuius legat ones funguntur, ait Dicitur Anacleus Epistol. 2. & S. Melchisedes in Epistolā ad Episcopos Hispaniæ, quod & habetur in Cap. De his uero, de Consecrat. dist. 5. eos uocat summos Pontifices uerbis illis: *Et sicut unum maiorem, id est, summis Pontificibus, est accommodatum.* Vbi de Sacramento loquitur Confirmationis. Et, ut explicat Glossa, summū dicuntur; quia ultra eos nullus est ordo: nam Metropolitanus Episcopus uocatur 18. dist. Quamuis hic titulus iam sit soli Christi Vicario, & Diui Petri Successori reseruatus. Sed omnium elegantissime Gelasius Papa Anastasio Imperatori sic scribit: *Honor & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adequari. Sunt regum fulgore compares & Principum diademat; longe erit inferius &c.* Extat in cap. Duo sunt, 96. dist.

124. Dico secundò. Quod Assertionem 3. est dictum, potest etiam Episcopis applicari, in quibus aliquoties maior uidetur esse ratio, quam in alijs. Id constat: nam & grauius turbare Reipublicas possunt, & Superiorem non habent, à quo possint coerceri. Ideo non solum Episcopos, sed & Archiepiscopos scimus in Hispaniam accitos, neque id Pontifices moleste tolerasse, sed Regibus nostris postulantibus, & ad Episcopatus illius Prouinciæ præsentatis, eorum translatione publicè tranquillitati consulunt. Consilium Cartaginense quartum cap. 67. sic decernit: *Seditionarios statuimus numquam ordinandos Clericos, siue nec usurarios, uel iniuriarum suarum ultores.* Sic Concilium, & id ad Episcopos præcipue pertinere constat ex totā distinct. 46. in quā Gratianus requisitum illud exponit, quod apud Apostolum extat 1. Tim. 3. v. 3. *Non inuigilum.* & ita pro eo statutum Concilii prædictum adducit in cap. Seditionarios. Cor autem seditionarijs usurarios adiunxit, exponit Glossa sic dicens: *Quia tales propter auaritiā pro minimo ligant.* Vbi & addit non solum non ordinandos, sed & ordinatos deiciendos. Ultiores autem iniuriarum suarum satis litigari probantur. Quæ quidem in Indiis satis perniciose comperiuntur, sicut & frequentiores pro iisdem occasiones: auaritia enim pretiosis stimula formentis animos elatioris generat, & periculum est, ne qui præsumunt, dum à supremis illis Europæ in spiritualibus & temporalibus remoti Principibus degunt, se uti huius noui mundi dominos arbitrentur. Sic ergo & periculose omnia miscere moderamine turbulento. Non erunt equidem plures,

nam & modestissimos frequenter experiri: sed siqui contrariā gradiantur uia, magnā debet huic damno prouidentia subueniri. Non poterit Regium Consilium erga eos, quod sola potest auctoritas suprema Pontificis, Ordinaros deiciendo, ut ait Glossa: poterit tamen deiectionem auocatione disponere, iuxta probabilem Doctorum sensum operando.

125. Pro quo uidetur etiam jus Canonicum militare, dum ex Concilio Agathensi 2. cap. 35. sic statuatur in cap. Si Episcopus 18. dist. Si Episcopus Metropolitanus ad Comprovinciales Episcopos epistolas direxerit, in quibus eos aut ad ordinationem summū Pontificis, aut ad Synodum inuiter: postpositis omnibus (excepta graui infirmitate corporis, aut præceptione Regis) ad constitutum diem adesse non differant. Ex Concilio etiam Sardicensi cap. 8. sic habetur: *Si uobis, fratres Charissimi, placet, decernite ne Episcopi ad comitatum accedant, nisi forte hi, qui à religiosis Imperatoribus, uel inuitati uel uocati fuerint.* sic extat in Cap. Si uobis 23. q. 8. Et sunt uerba Offii Cordubensis Episcopi in Concilio præsentis. Iuxta hæc ergo constat Episcopos à Regibus aut Imperatoribus uocatos non debere eorum placito reluctari, quia semper præsumi debet non leuis momenti causa aduocationem huiusmodi permoerere. Sic ergo interpretanda est eorum mens, cum Consilio Indiarum ita arbitrantur, Prælatus in Hispaniam auocantur: grauiissima enim tunc intercedit causa, & audiri coram eos conuenit, pro se rationem, & fortè congruam, reddituros.

126. Dices ex eorum absentia ea emerſura damna, de quibus dictum cap. 5. Ad quod responderi potest, uocantibus id omnis relinqui, ut uideant quomodo possit damnis emergentibus obuiari. Deinde, etiam si damna aliqua sint futura, maioribus uitandis per talem absentiam attendi, & maiora ex ea bona pro utilitate communi sperari. Quemadmodum cum generale Concilium indicitur, omnium Episcoporum futura absentia decernitur, & quæ ex ipsa oriri damna possunt, communis totius Ecclesiæ boni consideratione & maiorum damnorum euirationis respectu compenſantur. Et prædictam praxim uidetur approbare Diana Parte 5. tract. 1. resol. 5. s. Verum hanc, ubi ita scribit: *Non sumus in Indiā, ita ut ad compescendam, si adesset; licentiam & delicta Episcoporum, tanta esset necessitas, ut periculum esset in mora, si pro ruina publicā subleuanda Pontificis resolutio expectaretur.* Sic ille. Licet ergo in Indiis, quod alibi non ita, iuxta ipsum. In quibus præterea uolunt aliqui Reges nostros Legati Pontificij auctoritatem habere, ut uidimus Titulo præced. n. 159. quibus cum Dom. Villaroel Parte 1. quæst. 1. lib. 8. n. 23. & seqq. Parte 2. quæst. 14. art. 4. n. 36. qui eam non adductā ratione auocationem & expulsiōnem ut licitam admittit respectu Regis, Proregij, & Audientiarum, ut citato Art. 8. num. 34. & seqq. & Parte 2. quæst. 12. art. 5. num. 97. Legati etiam auctoritatem agnouit Fr. Ioannes de Silua in Animaduersionibus citatis fol. 7. pag. 1.